



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEPIUS ATQUE CASTUSSANCTA TERESIA A IESU
JORNET IBARS, VIRGO,**

PATRONA CONFIRMATUR APUD DEUM SENUM IN AEQUATORIA DEGENTIUM Ad perpetuam rei
memoriam. – Pius atque castus beatorum caelitem cultus id nimirum spectat, ut non solum sanctissimi illi amici Dei digne
honorentur a fidelibus, cum tot ingruentibus discriminibus atque periculis sint Patroni apud Deum potentissimi, sed etiam
ut homines, ad aeterna litora iter facientes, eorum exempla virtutis presse sequantur: quo enim asperior via ad patriam
immortalem, eo maiora auxilia apparari oportet euntibus. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Paulus S. R. E.
Cardinalis Muñoz Vega, Archiepiscopus Quitensis, idemque Coetus Episcoporum Aequatoriae Praeses, suo suorumque
Conlegarum nomine, praeterquam populi, ab hac Apostolica Sede petierit ut electionem a fidelibus factam et a se rite
probatam Sanctae Teresine a Iesu Iornet Ibars tamquam Patronae senum totius Aequatoriae confirmaremus, scilicet
secundum praescriptionem Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis
recognoscendis, n. 30; Nos, explorato omnia ad Iuris Canonici normam acta esse, petentis optatis libenter concedimus.
Iis ergo probatis, quae Sacra Congregatio pro Cultu Divino hac de re statuit, factis olim a Nobis facultatibus, placet S.
Teresiam a Iesu Iornet Ibars Virginem, esse et haberi Patronam apud Deum senum Nationis Aequatoriae, cum iuribus
atque privilegiis liturgicis iuxta rubricas, contrariis nihil obstantibus. Id autem agentes certa spe ducimur fore ut aucta
pietas erga tantam Patronam, tum in Dei gloriam, tum etiam in senum bonum recidat, quos illa ceu mater toto pectore, ad
Christi iussum (cf. *Matth.* 25, 31 sq.), amavit. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis
Decembris, anno MDCCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri septimo.* CAROLUS Card. CONFALONIERI, S. Collegii
Decanus © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana
